



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

Officium defunctorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)



# OFFICIUM DEFUNCTORUM.

**P**ridie commemorationis omnium fidelium defunctorum habentur vesperæ: in die commemorationis matutinum cum laudibus. In quibusdam locis, alterâ die post sepulturam, canitur unum nocturnum cum laudibus ante sacrum; finito autem sacro dicitur commendatio ad tumbam in templo consistentem, vel etiam ad sepulchrum: Honoratiores autem alterâ die totum officium: teritiâ verò die unum nocturnum cum laudibus, dein sacrum de Beata Virg. postea pro defuncto, eodem finito, commendationem ad tumbam curant cantari; In die trigesimo & anniversario denuò unum nocturnum cum laudibus. Pastor secundùm loci consuetudinem Officium defunctorum servare poterit.

*Ad vespervas, si ab illis incipiatur.*

**V.** Oremus pro fidelibus defunctis.

**Rx.** Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.



**Antiph.** Placebo. Euouae.

**Psalmus 114.**

**D**ilexi quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.

**Q**uia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo.

S s

**Cir-**

**C**ircumdederunt me dolores mortis : & pericula inferni invenerunt me.

**T**ribulationem & dolorem inveni : & nomen Domini invocavi.

**O** Domine libera animam meam : misericors Dominus & justus, & Deus noster miseretur.

**C**ustodiens parvulos Dominus : humiliatus sum & liberavit me.

**C**onverte anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.

**Q**uia eripuit animam meam de morte : oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

**P**lacebo Domino in regione vivorum.

**R**equiem æternam &c.



**añ.** **P**lacebo Domino in regione vivorum.



**Antiph.** **H**eu mihi. Euouae.

**Psalmus. 119.**

**A**D Dominum cum tribularer clamavi : & exaudivit me.

**D**omine libera animam meam à labiis iniquis : & à lingua dolosa.

**Q**uid

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Requiem æternam dona &c.



añã. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus



est. Antiph. Dominus. Euouae.

Psalmus. 120.

Leuavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit coelum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet: qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

**D**ominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

**D**ominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & usque in sæculum.


**R**equiem æternam dona &c.



**añ.** **D**ominus custodit te ab omni malo, custo-



diat animam tuam Dominus. **Antiph.** Si iniqui-



tates. **E**uouae.

**P**salmus. 129.

**D**E profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

**F**iant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

**S**i iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

**Q**uia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

**S**ustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

**A**custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

**Q**uia

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam. &c.



*añã.* Si iniquitates observaveris Domine, Domi-



ne quis sustinebit. *Antiph.* Opera. Euouae.

*Psalms.* 137.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua & veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacunque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine, omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit.

**S**i ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.

**D**ominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

**R**equiem æternam &c.



**añã.** Opera manuum tuarum Domine ne despicias.

**V.** A porta inferi.

**R.** Erue Domine animas eorum.



**Antiph.** Omne. Euouae.

**Cantic. B. Mariæ Virg. Luc. i.**

**M**agnificat anima mea Dominum.

**E**t exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo.

**Q**uia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

**Q**uia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen ejus.

**E**t misericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

**F**ecit

**Officium defunctorum.**

327

**F**ecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.


**D**eposuit potentes de sede : & exaltavit humiles.

**E**surientes implevit bonis : & divites dimisit inanes.

**S**uscepit Israël puerum suum : recordatus misericordiæ suæ.

**S**icut locutus est ad patres nostros : Abraham & femini ejus in sæcula.

**R**equiem æternam &c.



**añs.** **O**m ne quod dat mihi pater ad me veniet, &



eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

**Primum Nocturnum.**

**Si Officium defunctorum non dicatur integrum, tunc hoc nocturnum dicitur feriâ secundâ & quintâ.**



**añs.** **D**i rige. Euouae.

**Psalms. 5.**

**V**erba mea auribus percipe Domine : intellige clamorem meum.

**I**nten-

**I**ntende voci orationis meæ: rex meus & Deus meus.

**Q**uoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam.

**M**anè astabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

**N**eque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

**O**disti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

**V**irum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiarum tuarum.

**I**ntroibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

**D**omine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meam.

**Q**uoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

**S**epulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant iudica illos Deus.

**D**ecidant à cogitationibus suis secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te Domine.

**E**t lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt: & habitabis in eis.

Et


**E**t gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto.

**D**omine ut scuto bonæ voluntatis tuæ: coronasti nos.


**R**equiem æternam &c.



**afia.** **D**i rige Domine Deus meus in conspectu



tuo viam meam. **Antiph.** **C**onverte re.



Euouae.

**Psalmus. 6.**

**D**omine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

**M**iserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniã conturbata sunt ossa mea.

**E**t anima mea turbata est valdè: sed tu Domine usquequo?

**C**onverte Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

**Q**uoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

**L**aboravi in gemitu meo, lavabo per singulas

T t

las

las noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo.


**T**urbatus est à furore oculus meus : in veteravi inter omnes inimicos meos.

**D**iscedite à me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem flētūs mei.

**E**xaudivit Dominus deprecationem meam. Dominus orationem meam suscepit.

**E**rubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei : convertantur & erubescant valde velociter.

**R**equiem æternam &c.



**añ.** **C**onverte Domine & eripe animam meam,



quoniam non est in morte qui memor sit tui.



**Antiph.** **N**equando. Evouae.

**Psalmus.** 7.

**D**omine Deus meus in te speravi : salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

**N**e

**N**equando rapiat ut leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

**D**omine Deus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

**S**i reddidi retribuendis mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

**P**ersequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terrà vitam meam: & gloriam meam in pulverem deducat.

**E**xurge Domine in iratua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

**E**t exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti: & synagoga populorum circumdabit te.

**E**t propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.

**J**udica me Domine secundum justitiam meam: & secundum innocentiam meam super me.

**C**onsumetur nequitia peccatorum, & diriges justum: scrutans corda & renes Deus.

**J**ustum adjutorium meum à Domino: qui salvos facit rectos corde.

**D**eus iudex justus, fortis & patiens: nunquid irascitur per singulos dies?

**N**isi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum.

T t 2

Et

**E**t in eo paravit vasa mortis : sagittas suas ardentibus effecit.

**E**cce parturiit in iustitiam : concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

**L**acum aperuit & effodit eum : & incidit in foveam quam fecit.


**C**onvertetur dolor ejus in caput ejus : & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

**C**onfitebor Domino secundum iustitiam ejus : & psallam nomini Domini altissimi.

**R**equiem æternam &c.



**añ.** **N**equando rapiat ut leo animam meam, dum



non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

**V.** Dirige Domine Deus meus.

**R.** In conspectu tuo viam meam.

**P**ater noster. totum secretò.

**V.** Requiem æternam dona eis Domine.

**R.** Et lux perpetua luceat eis.

*Lectio sequuntur sine absolutione, benedictionibus & titulo.*

**Lectio prima. Job. 7. cap.**

**P**arce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei :  
Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid appo-

apponis erga eum cor tuum? visitas eum diluculo,  
 & subito probas illum. Usquequo non parcis mihi,  
 nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Pec-  
 cavi, quid faciam tibi o custos hominum? quare  
 posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi  
 met ipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum,  
 & quare non auferis iniquitatem meam? Ecce  
 nunc in pulvere dormiam, & si manè me qua-  
 sifieris non subsistam.

*Lectio* terminatur sine: Tu autem vel alia conclu-  
 sione.



*Resp.* **C**redo quod Redemptor meus



vi vit, & in novissimo di e de terra fur-



re cturus sum, & in carne me a videbo



De um Salvatorem meum.



*Versus.* Quem visurus sum ego ipse &

T t 3 non

non alius & oculi mei conspectu-  
ri. Salvato.

*Lectio secunda. Job. 10. cap.*


**T**ædet animam meam vitæ meæ, dimittam ad-  
versum me eloquium meum, loquar in ama-  
ritudine animæ meæ. Dicam Deo: Noli me con-  
demnare; indica mihi cur me ita iudices. Nun-  
quid bonum tibi videtur si calumniaris me, &  
opprimas me opus manuum tuarum, & consilium  
impiorum adjuves? Nunquid oculi carnei tibi  
sunt: aut sicut videt homo & tu videbis? Nun-  
quid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut  
humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem me-  
am, & peccatum meum scruteris? Et scias quia ni-  
hil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu  
tua possit eruere.


*Resp.* Qui Lazarum resuscitas ti de mo-  
numento feti dum; tu eis Do mi ne  
dona

  
 dona requiem, In loco indulgentiæ.



*Versus.* Requiem æternam dona eis Do-

  
 mi ne, & lux perpetua u ceat


  
 e is. *In loco.*

*Lectio tertia. Job. 10. cap.*

**M**anus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me  
 totum in circuitu: & sic repente præcipitas  
 me? Memento quæso quòd sicut lutum feceris  
 me, & in pulverem reduces me. Nonne sicut  
 lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?  
 Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis  
 compegisti me. Vitam & misericordiam tri-  
 buisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum  
 meum.




*Resp.* Domi ne quando veneris judica re  
 ter-



terram, ubi me abscondam à vultu iræ



tu æ, **Quia** peccavi nimis in vi-



ta me a. **Versus.** **Commis**sa mea



Domine paveſco, & ante te eru-



besco: dum veneris iudicare, noli me



condemna re. **Quia** &c.

## Secundum Nocturnum.

**Quando non canitur integrum officium, sed hoc solum, assumitur  
feriâ tertiâ & sextâ.**



**Antiph.** In loco. Euouac.

**Psalmus. 22.**

**D**ominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco  
pascuæ ibi me collocavit.

Su-

**S**uper aquam refectionis educavit me : animam meam convertit.

**D**eduxit me super semitas justitiæ : propter nomen suum.

**N**am, & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.

**V**irga tua, & baculus tuus : ipsa me consolata sunt.


**P**arasti in conspectu meo mensam : adversus eos qui tribulant me.

**I**mpinguasti in oleo caput meum : & calix meus inebrians quàm præclarus est.


**E**t misericordia tua subsequetur me : omnibus diebus vitæ meæ.

**E**t ut inhabitem in domo Domini : in longitudinem dierum.

**R**equiem æternam &c.



**Antiph.** In loco pascuæ ibi me collocavit.



**Antiph.** Delicta Evocæ.

**Psalmus.** 24.

**A**D te Domine levavi animam meam : Deus meus in te confido, non erubescam :

V u

**N**eque

**N**eque irrideant me inimici mei : etenim universi qui sustinent te non confundentur.

**C**onfundantur omnes iniqua agentes : super vacuè.

**V**ias tuas Domine demonstra mihi : & semitas tuas edoce me.

**D**irige me in veritate tua, & doce me : quia tu es Deus Salvator meus, & te sustinui totâ die.

**R**eminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt.

**D**eliicta juventutis meæ : & ignorantias meas ne memineris.

**S**ecundùm misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam Domine.

**D**ulcis & rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

**D**iriget mansuetos in iudicio : docebit mites vias suas.

**U**niversæ viæ Domini, misericordia & veritas : requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus.

**P**ropter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo : multum est enim.

**Q**uis est homo qui timet Dominum : legem statuit in via, quam elegit.

**A**nima ejus in bonis demorabitur : & semen ejus hæreditabit terram.

**Firma**

**F**irmamentum est Dominus timentibus eum:  
& testamentum ipsius ut manifestetur illis.

**O**culi mei semper ad Dominum: quoniam ipse  
evellet de laqueo pedes meos.

**R**espice in me, & miserere mei : quia unicus &  
pauper sum ego.

**T**ribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de  
necessitatibus meis erue me.

**V**ide humilitatem meam & laborem meum:  
& dimitte universa delicta mea.

**R**espice inimicos meos, quoniam multiplicati  
sunt: & odio iniquo oderunt me.

**C**ustodi animam meam, & erue me: non eru-  
bescam quoniam speravi in te.

**I**nnocentes & recti adhæserunt mihi : quia su-  
stinui te.

**L**ibera Deus Israël, ex omnibus tribulationibus  
suis.

**R**equiem æternam dona eis Domine &c.



*aria.* **D**elicta juventutis meæ & ignorantias meas



ne memineris Domine. *Antiph.* **C**redo Euouae.

**D**ominus illuminatio mea, & salus mea : quem timebo?

**D**ominus protector vitæ meæ : à quo trepidabo?

**D**um appropiant super me nocentes : ut edant carnes meas.

**Q**ui tribulant me inimici mei : ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

**S**i consistant adversum me castra : non timebit cor meum.

**S**i exurgat adversum me proelium : in hoc ego sperabo.

**U**nam petii à Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

**U**t videam voluptatem Domini : & visitem templum ejus.

**Q**uoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

**I**n petra exaltavit me : & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

**C**ircuivi & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo & psalmum dicam Domino.

**E**xaudi

**E**xaudi Domine vocem meam quâ clamavi ad te: miserere mei & exaudi me.

**T**ibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

**N**e avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo.

**A**djutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

**Q**uoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

**L**egem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

**N**e tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.


**C**redo videre bona Domini: in terra viventium.

**E**xpecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

**R**equiem æternam &c.



**Credo videre bona Domini in terra viven-**



tium.

V u 3

v. De-

**V.** Delicta juventutis meæ.

**R.** Et ignorantias meas ne memineris.

**P**ater noster. *totum secretò.*

**V.** In memoria æterna erunt iusti.

**R.** Ab auditione mala non timebunt.

**Lectio quarta.** *Job. 13. cap.*

**R**esponde mihi: quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & confumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

Heu mihi Do mi ne quia peccavi ni-  
 mis in vi ta me a: quid faci am  
 mi ser? u bi fugiam, ni si ad

te Deus meus? miserere mei, **Dum**

veneris in novissimo die. **Versus. Anima**

mea turbata est valde: sed tu Domine suc-

curre ad me. **Dum** vene.

**Lectio quinta. Job. 14. cap.**

**H**omo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies eius.

**Resp.**



*Resp.* Peccantem me quotidie & non me pœ-



niten tem timor mortis conturbat me. *Quia*



in infer no nulla est re demptio, miserere




me i Deus & salva me. *Versus.* De us in



nomine tuo saluum me fac, & in virtu-



te tua li be ra me. *Quia* in



inferno &c.

*Lectio sexta. Job. 14. cap.*

**Q**uis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? putasne mortuus homo rursus vivet? cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec

donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.



Resp. **N**ere cor de ris peccata mea Do-



mine, **D**um veneris iudicare




saeculum per ignem **Versus.** **D**iri-



ge Do mi ne Deus meus in con-



spectu tuo viam me am. **D**um ve-



ne ris &c.

### Tertium Nocturnum.

*Quod, si integrum officium non canitur, feriâ quartâ & Sabbatho assumitur.*

X x

Antiph.



Antiph. **N**e derelinquas. Euouae.

**P**salmus. 37.

**D**omine in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripas me.

**Q**uoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.

**N**on est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

**Q**uoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

**P**utruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.

**M**iser factus sum & curvatus sum usque in finem: totâ die contristatus ingrediebar.

**Q**uoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.

**A**fflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

**D**omine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.

**C**or meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Amici

**A**mici mei & proximi mei : adversum me appropinquaverunt & steterunt.

**E**t qui juxta me erant de longè steterunt : & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

**E**t qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates : & dolos totâ die meditabantur.

**E**go autem tanquam surdus non audiebam : & sicut mutus non aperiens os suum.

**E**t factus sum sicut homo non audiens : & non habens in ore suo redargutiones.

**Q**uoniam in te Domine speravi : tu exaudies me Domine Deus meus.

**Q**uia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei : & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

**Q**uoniam ego in flagella paratus sum : & dolor meus in conspectu meo semper.

**Q**uoniam iniquitatem meam annuntiabo : & cogitabo pro peccato meo.


**I**nimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me : multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

**Q**ui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi : quoniam sequebar bonitatem.

**N**e derelinquas me Domine Deus meus : ne discesseris à me.

**I**ntende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

**R**equiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.



**añā.** **N**e derelinquas me Domine Deus meus, ne



discesseris à me. **Antiph.** **S**ana. Euouae.

**Psalmus. 40.**

**B**Eatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

**D**ominus conseruet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

**D**ominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

**E**go dixi: Domine miserere mei: sana animam meam quia peccavi tibi.

**I**nimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?

**E**t si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

**E**grediebatur foras: & loquebatur in idipsum.

**A**dver-

**A**dversum me susurrabant omnes inimici mei:  
adversum me cogitabant mala mihi.

**V**erbum iniquum constituerunt adversum  
me: nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?

**E**tenim homo pacis meæ, in quo speravi : qui  
edebat panes meos , magnificavit super me sup-  
plantationem.

**T**u autem Domine miserere mei , & resuscita  
me: & retribuam eis.

**I**n hoc cognovi, quoniam voluisti me : quo-  
niam non gaudebit inimicus meus super me.

**M**e autem propter innocentiam suscepisti : &  
confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

**B**enedictus Dominus Deus Israël à sæculo , &  
usque in sæculum : fiat, fiat.

**R**equiem æternam &c.



**añã.** Sana Domine animam meam quia peccavi



tibi. **añã.** Sitivit. Euouae.

**Psalmus. 41.**

**Q**uemadmodum desiderat cervus ad fontes a-  
quarum : ita desiderat anima mea ad te Deus.

**S**itivit anima mea ad Deum fortem vivum :

**Xx 3** quan-

quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

**F**uerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie; ubi est Deus tuus?

**H**æc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

**I**n voce exultationis & confessionis: sonus epulantis.

**Q**uare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

**S**pera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

**A**d me ipsum anima conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermonium à monte modico.

**A**byssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

**O**mnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transfierunt.

**I**n die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus.

**A**pud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo; susceptor meus es.


**Q**uare oblitus es mei: & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

**D**um confringuntur ossa mea: exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.


**D**um dicunt mihi per singulos dies ; ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

**S**pera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.


**R**equiem æternam &c.



**Antiph.** Sitivit anima mea ad Deum vi-



vum, quando veniam & apparebo ante faciem



Domini.

**V.** Ego dixi, Domine miserere mei.

**R.** Sana animam meam, quia peccavi tibi.

**P**ater noster. *totum secretò.*

**V.** Ne tradas Domine animas confitentes tibi.

**R.** Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

**Lectio VII.** *Job. 17. cap.*

**S**piritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei tran-

fierunt,

sierunt, cogitationes meae dissipatae sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem. Si sustinero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi, pater meus es: mater mea & soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc praestolatio mea, & patientiam meam quis considerat?

*Resp.* Rogamus te Domine Deus non ster, ut

fulcipias animas eorum defunctorum, pro quibus sanguinem tuum fudisti. Recordare

quia pulvis sumus, & homo sicut foenum aref cet. *Versus.* Misericors & mi se-

rator & iuste Domine. *R* ecor. & c.

*Lectio*

## Lectio VIII. Job. 19. cap.


**P**elli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos. Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina; vel celte sculpantur in silice? scio enim, quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursus circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est spes mea in sinu meo.



**Resp.** Redemptor meus vivit & in



novissimo die resurgã: **E**t renovabuntur de-



nuo ossa mea, & in carne mea videbo Do-

**Y** y


minum

minum meum. *Versus.* **L**auda anima mea  
 Dominum, laudabo Dominum in vita me a:  
 psallam Deo meo quam diu e ro. **E**t  
 renovabuntur &c.

**Lectio IX.** *1. ad Corinth. 15. cap.*


**E**Cce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam: per Dominum nostrum Jesum Christum:

*Resp.*




*Resp.* Libera me Domine &c. *supra* pag. 112.

*Aliud:*




*Resp.* Absolve Domine a ni mas eo-



rum ab omni vinculo delictorum. *Non* eas



tormentum mortis attingat, nec reorum ca-



te na constringat: sed miseratio




tua in pacis eas a lucis regione con-



stituat. *Versus.* Si quæ il-



lis sunt Domine dignæ cruciatibus culpæ, tu



eis gratiâ lenita tis indulge. *Non* eas &c.

## Aliud.



Resp. **C**ognoscimus Do mine quia peccavimus;  
 veniam petimus, quam non me re mur. **M**anum  
 tuam porrige lap sis, qui la-  
 troni confitenti pa radisi ja nu-  
 as ape ruiſti. **Versus.** **V**ita noſtra in dolo-  
 re ſuſpirat, & in opere non emendat: ſi exſpe-  
 ctas, non corrigimur; & ſi vindicas, non dura-  
 mus. **M**anum tuam &c.

LAU.

## LAUDES.



**Antiph.** Requiem. Euouae.

**Psalmus.** 50.

**M**iserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam,

**E**t secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam,

**A**mplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

**Q**uoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

**T**ibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

**E**cce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

**E**cce enim veritatem dilexisti: incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

**A**sperges me Domine hyssopo & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

**A**uditui meo dabis gaudium & lætitiā: & exultabunt ossa humiliata.

**A**verte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Y y 3

Cor

**C**or mundum crea in me Deus: & spiritum sanctum in nova in visceribus meis.

**N**e projicias me à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

**R**edde mihi lætitiã salutaris tui: & spiritu principali confirma me.

**D**ocebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

**L**ibera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiã tuam.

**D**omine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

**Q**uoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

**S**acrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicias.

**B**enignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Hierusalem.

**T**unc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

**R**equiem æternam dona eis Domine: &c.



**Antiph.** **R**equiem æternam dona eis Do mi ne  
& lux

& lux perpetua luceat eis. Antiph. Non intres  
Euouae.

**Psalms. 142.**

**D**omine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iustitia.

**E**t non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

**Q**uia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

**C**ollocavit me in obscuris sicut mortuos faculi: & anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

**M**emor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.

**E**xpandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

**V**elociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

**N**on avertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

**Au-**

**A**uditam fac mihi manè misericordiam tuam:  
quia in te speravi.

**N**otam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad  
te levavi animam meam.


**E**ripe me de inimicis meis Domine, ad te con-  
fugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus  
meus es tu.

**S**piritus tuus bonus deducet me in terram re-  
ctam: propter nomen tuum Domine vivificabis  
me in æquitate tua.

**E**duces de tribulatione animam meam: & in  
misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

**E**t perdes omnes qui tribulant animam meam:  
quoniam ego servus tuus sum.

**R**equiem æternam dona eis Domine. &c.



**añ.** **N**on intres in iudicium cum fidelibus tuis Do-



mine. **Antiph.** **M**e suscepit. Euouae.

**Psalms. 63.**

**D**Eus Deus meus: ad te de luce vigilo.

**S**itavit in te anima mea: quam multipliciter  
tibi caro mea.

**I**n terra deserta, & in via & in aquosa: sic in sancto  
appa-

apparui tibi: ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

**Q**uoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.

**S**ic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

**S**icut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

**S**i memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuisti adiutor meus.

**E**t in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.

**I**psi verò in vanum quæsierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

**R**ex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

**Psalmus. 67.**

**D**eus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri.

**U**t cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Z z

Con-


**C**onfiteantur tibi populi Deus : confiteantur tibi populi omnes.

**L**ætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate : & gentes in terra dirigis.

**C**onfiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes : terra dedit fructum suum.

**B**enedicat nos Deus, Deus noster benedicat nos Deus : & metuant eum omnes fines terræ.

**R**equiem æternam dona eis Domine. &c.



**Antiph.** **E**ruisti. Euouae.

**Canticum Ezechia.** *Isa. 38.*

**E**go dixi in dimidio dierum meorum : vadam ad portas inferi.

**Q**uæsiui residuum annorum meorum : dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium.

**N**on aspiciam hominem ultra : & habitatorem quietis.

**G**eneratio mea ablata est, & convoluta est à me : quasi tabernaculum pastorum.

**P**ræcisâ est velut à texente vita mea ; dum

dum adhuc ordire succidit me : de mane usque ad vesperam finies me.

**S**perabam usq; ad mane: quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

**D**e mane usque ad vesperam finies me : sicut pullus hirundinis sic clamabo; meditabor ut columba.

**A**ttenuati sunt oculi mei: suspicientes in excelsum.

**D**omine vim patior responde pro me: quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit.

**R**ecogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.

**D**omine si sic vivitur, & in talibus vita spiritûs mei: corripies me, & vivificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.

**T**u autem eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

**Q**uia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.

**V**ivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: Pater filiis notam faciet veritatem tuam.

**D**omine salvum me fac, & psalmos nostros

Zz 2

canta-

cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ, in domo Domini.

**R**equiem æternam dona eis Domine. &c.



**Antiph.** **E**ruiſti Domine animas eorū ne perirent.



**Antiph.** **O**mnis ſpiritus. Euouae.

**Pſalmus. 148.**

**L**audate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.

**L**audate eum omnes Angeli ejus : laudate eum omnes virtutes ejus.

**L**audate eum ſol & luna : laudate eum omnes ſtellæ & lumen.

**L**audate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt : laudent nomen Domini.

**Q**uia ipſe dixit, & facta ſunt : ipſe mandavit & creata ſunt.

**S**tatuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi : præceptum poſuit, & non præteribit.

**L**audate Dominum de terra : dracones & omnes abyſſi.

**I**gnis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus.

**Mon.**

**M**ontes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

**B**estiae & universa pecora: serpentes & volucres pennatae.

**R**eges terrae, & omnes populi: principes & omnes iudices terrae.

**J**uvenes & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.

**C**onfessio eius super caelum & terram: & exaltavit cornu populi sui.

**H**ymnus omnibus Sanctis eius filiis Israël: populo appropinquanti sibi.

**C**antate Domino canticum novum: laus eius in Ecclesia Sanctorum.

**L**aetetur Israël in eo qui fecit eum: & Filii Sion exultent in rege suo.

**L**audent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.

**Q**uia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

**E**xultabunt Sancti in gloria: laetabuntur in cubilibus suis.

**E**xultationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.

Z z 3

Ad

**A**d faciendam vindictam in nationibus : increpationes in populis.

**A**d alligandos reges eorum in compedibus : & nobiles eorum in manicis ferreis.

**U**t faciant in eis iudicium conscriptum : gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

**L**audate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

**L**audate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

**L**audate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio & cithara.

**L**audate eum in tympano & choro : laudate eum in chordis & organo.

**L**audate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

**R**equiem æternam dona eis Domine : &c.



**Antiph.** Omnis spiritus laudet Dominum. *añã.* E-



go sum Euouae.

**Canticum Zachariæ.** *Luc. i. cap.*

**B**enedictus Dominus Deus Israël : quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.

Et

**E**t erexit cornu salutis nobis : in domo David pueri sui.

**S**icut locutus est per os Sanctorum : qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.

**S**alutem ex inimicis nostris : & de manu omnium qui oderunt nos.

**A**d faciendam misericordiam cum patribus nostris : & memorari testamenti sui sancti.

**J**usjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum : daturum se nobis.

**U**t sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati : serviamus illi.

**I**n sanctitate & justitia coram ipso : omnibus diebus nostris.

**E**t tu puer Propheta Altissimi vocaberis : præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

**A**d dandam scientiam salutis plebi ejus : in remissionem peccatorum eorum.

**P**er viscera misericordiae Dei nostri : in quibus visitavit nos oriens ex alto.

**I**lluminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

**R**equiem æternam dona eis, &c.



**Antiph.** **E**go sum resurrectio & vita, qui credit


in



in me, etiamsi mortuus fuerit vivet, & omnis



qui vivit & credit in me, non morietur in



æternum.

**V.** Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

**P**ater noster. *totum secretò.*

**E**t ne nos inducas in tentationem,

**S**ed libera nos à malo.

**V.** A porta inferi.

**R.** Erue Domine animas eorum.

**V.** Domine exaudi orationem meam.

**R.** Et clamor meus ad te veniat.

**V.** Dominus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

**O**remus.

**A**desto quæsumus Domine, animæ famuli tui N. cui in die depositionis suæ, officium commemorationis impendimus, ut quæcunque ei secularis macula inhæsit, dono pietatis tuæ indulgeas. Per Dominum nostrum Jesum Christum. &c.

In anniversario unius.

Oremus.

Deus indulgentiarum Domine, da famulo tuo **N.** cuius anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & perpetui luminis claritatem. Per Dominum nostrum &c.

Pro Episcopo defuncto.

Oremus.

Da nobis, Domine, ut animam famuli tui **N.** Episcopi, quam de hujus sæculi eduxisti laborioso certamine, Sanctorum tuorum tribuas esse consortem. Per Dominum nostrum &c.

Pro defuncto Sacerdote.

Oremus.

Præsta, quæsumus Domine: ut anima famuli tui **N.** Sacerdotis, quem in hoc sæculo commorantem, sacris muneribus decorasti; in cœlesti sede gloriosa semper exultet. Per Dominum nostrum &c.

Pro Laico defuncto.

Oremus.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis ac

A a a lucis

**Officium defunctorum.**

lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum &c.

**Pro una defuncta.**

Oremus.

Quæsumus Domine pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ **N.** & à contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum nostrum &c.

**Pro congregatione.**

Oremus.

Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus immensam clementiam tuam: ut nostræ congregationis fratres & sorores, propinquos & benefactores nostros, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Mariâ semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum.

**Pro defunctis intra & circa templum.**

Oremus.

Deus, in cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus hic & ubique in Christo quiescentibus, da propitiis suorū veniam peccatorum: ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum  
 Pro

**Pro animabus speciali patrocínio destitutis****Oremus.**

**M**iserere, misericors Deus, animabus illis, quæ singulares apud te non habent intercessores, quibus nulla est consolatio in tormentis, neque spes ulla, nisi quod factæ sunt ad imaginem & similitudinem tuam: parce & defende plasma tuum nobile, gloriam nominis tui ne des alteri, opus manuum tuarum respice in eis, & libera eas ab omnibus intolerabilibus pœnis & cruciati- bus, & perduc eas ad societatem civium superno- rum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Fi- lium tuum qui tecum &c.

**Collecta generalis.****Oremus.**

**F**idelium Deus omnium conditor & redem- ptor, animabus omnium fidelium defunctorum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & re- gnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

**R.** Amen.**V.** Requiescant in pace.**R.** Amen.